

## D E P O N D E R I B V S

Attica sex esse Obolos, in Obolo Chalcos,  
id est, Aereolos decē, in Obolo uero Græc  
corum communi octo tantummodo Chal  
cos esse, Iul. Pollux libro nono, Paulus Ae  
gineta, & cæteri tradunt, quo sit, ut Vncia  
Attica, quæ eadem cum Romana est, Chal  
cos habeat cccclxxx, cum Vncia Græca so  
los habeat ccclxxxiiij. Merito ergo Corne  
lius Celsus libro quinto, capite xvij. in Vn  
cia Græca pondus septem Denariorū esse  
tradit, cum alioqui Latina & Attica Vncia  
Denarios habeat octo, tametsi nec eius ra  
tio omnino quadret, quandoquidem id se  
ptem Denariorum pondus aliquanto gra  
uius est Vncia græca, sed maluit Celsus pau  
lo ampliorem modum dicere, q̄ leuiorem,  
quod fecisset, si sex Denarios in Vncia so  
los constituisset, contineret enim Chalcos  
præterea quatuor et uiginti. Eadem ratione  
factum est, ut cū Sextarius Romanus quin  
decim Vnciarum sit, ut supra dixi, Græci  
suo Sextario Vncias octo & decem attribu  
ant, quod uidelicet Vncia communis ipso  
rum nostra itemq; Attica leuior sit, in pon  
dereq; decem & octo Vnciæ ipsorum, &  
quindecim nostræ fere nihil differat. Et hæc  
Lib. a. de Vncia satis. Nunc de Libra uideamus,  
quam illi λίγαν dicunt, & minimū fuit pon  
deris